

*Vidi: Ecce turba magna, quam dinumerare nemo poterat,
ex omnibus gentibus et tribubus et populis et linguis.*

Léctio libri Apocalýpsis
beáti Ioánnis apóstoli

7, 2-4. 9-14

² **E**go, Ioánnes,
vidi álterum ángelum ascendéntem ab ortu solis,
habéntem sigillum Dei vivi;
et clamávit voce magna quáttuor ángelis,
quibus datum est nocére terræ et mari,
³ dicens:
«Nolíte nocére terræ neque mari neque arbóribus,
quoadúsque signémus servos Dei nostri
in fróntibus eórum».
⁴ Et audívi númerum signatórum,
centum quadragínta quáttuor mília signáti
ex omni tribu filiórum Israel.

[5-8]

⁹ Post hæc vidi:
et ecce turba magna, quam dinumeráre nemo póterat,
ex ómnibus géntibus et tríbubus et pópulis et linguis
stantes ante thronum et in conspéctu Agni,
amícti stolis albis, et palmæ in mánibus eórum;
¹⁰ et clamant voce magna dicéntes:
«Salus Deo nostro, qui sedet super thronum, et Agno».
¹¹ Et omnes ángeli stabant in circúitu throni
et seniórum et quáttuor animálium,
et cecidérunt in conspéctu throni in fácies suas
et adoravérunt Deum
¹² dicéntes: «Amen!
Benedíctio et glória et sapiéntia et gratiárum áctio
et honor et virtus et fortitúdo Deo nostro
in sácula sæculórum. Amen».

¹³ Et respóndit unus de senióribus dicens mihi:
«Hi, qui amícti sunt stolis albis,
qui sunt et unde venérunt?».

¹⁴ Et dixi illi:
«Dómine mi, tu scis».
Et dixit mihi:
«Hi sunt qui véniunt de tribulatióne magna
et lavérunt stolas suas
et dealbavérunt eas in ságuine Agni».

Verbum Dómini.

*Agnus pascet illos et deducet eos
ad vitæ fontes aquarum.*

Léctio libri Apocalýpsis
beáti Ioánnis apóstoli

7, 9. 14b-17

⁹ **E**go, Ioánnes, vidi turbam magnam,
quam dinumeráre nemo póterat,
ex ómnibus géntibus et tríbubus et pópulis et linguis
stántes ante thronum et in conspéctu Agni,
amícti stolis albis,
et palmæ in mánibus eórum.

[10-14a]

^{14b} Et dixit mihi unus de senióribus:
«Hi sunt qui véniunt de tribulatióne magna
et lavérunt stolas suas
et dealbavérunt eas in ságuine Agni.
¹⁵ Ideo sunt ante thronum Dei
et sérviant ei die ac nocte in templo eius;
et, qui sedet in throno, habitábit super illos.
¹⁶ Non esúrient ámplius
neque sítient ámplius,
neque cadet super illos sol neque ullus æstus,
¹⁷ quóniam Agnus, qui in médio throni est, pascet illos
et dedúcet eos ad vitæ fontes aquárum,
et abstérget Deus omnem lácrimam ex óculis eórum».

Verbum Dómini.